Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Malachias: prologus

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

tiem. Et fugietis ad vallem montium
meorum quoniam coniungetur vallis montium
usque ad proximum: et fugietis sicut fugi
stis a facie terremotus in diebus ozie
regis iuda. Et veniet dominus deus meus: omnes
que sancti cum eo. Et erit. In die illa non erit
lux: sed frigus et gelu. Et erit dies u
na que nota est domino. non dies neque nox.
Et in tempore vesperi: erit lux. Et erit. In
die illa exibunt aque vive de ierusalem:
medium earum ad mare orientale. et
medium earum ad mare novissimum.
In estate et in hyeme erunt. Et erit dominus
rex super omnem terram. XV
In die illa erit dominus unus: et erit nomen
eius unum. Et revertetur omnis terra.
usque ad desertum de colle adremmon
ad austrum ierusalem. Et exaltabitur et ha
bitabit in loco suo a porta beniamin usque
ad locum porte prioris. et usque ad portam
angulorum. et a turre ananehel. usque
ad torcularia regis: et habitabunt in ea.
Et anathema non erit amplius: sed se
debit ierusalem secura. Et hec erit plaga qua
percutiet dominus omnes gentes que pugnaverunt adver
sum ierusalem. Tabescet caro uniuscuiusque sta
tis super pedes suos. et oculi eius conta
bescent in foraminibus suis: et lingua
eorum contabescet in ore suo. In die illo
erit tumultus domini magnus in eis. et ap
prehendet vir manum proximi sui: et conse
retur manus eius super manum proximi sui.
Sed et iudas pugnabit adversum ierusalem.
Et congregabuntur divitie omnium gentium in
circuitu: aurum et argentum et vestes mul
te satis. Et sic erit ruina equi et mu
li et cameli et asini. et omnium iumentorum que
fuerint in castris illis: sicut ruina hec. Et omnes qui
reliqui fuerint de universis gentibus que
venerint contra ierusalem. ascendent ab anno in
annum: ut adorent regem dominum exercituum:
et celebrent festivitatem tabernaculorum.
Et erit. Qui non ascenderit de familiis
terre ad ierusalem. ut adoret regem dominum exer
cituum: non erit super eos ymber. Quod si et fa
milie egypti non ascenderit et non venerint
nec super eos erit: sed erit ruina qua percutiet
et dominus omnes gentes que non ascenderint ad cele
brandam festivitatem tabernaculorum. Hoc
erit peccatum egypti. et hoc peccatum omnium gentium
que non ascenderint ad celebrandam festivitatem
tabernaculorum. In die illa erit quod super fre
num equi est sanctum domino. et erunt lebetes
in domo domini quasi fiale coram altari: et
erit omnis lebes in ierusalem et iuda sanctifi
catus domino exercituum. Et venient omnes
immolantes: et sument ex eis. et coquent
in eis. Et non erit mercator ultra in do
mo domini exercituum: in die illa. Explicit
Zacharias. Incipit prologus malachie prophete.

Deus per moysen
populo israel pre
cepit: sacerdo
tes tabernaculi
sui omni cor
pali vitio
liberos hosti
as omni vitio vacuas sibi offerre.
Quibus legem suam ad regendum populum
ob hoc dederat: ut per sacrificiorum obla
tionem infirmitates dei et hominum filii populum
preceptis celestibus facerent obedire. Unde
sacerdotes angelos dei esse hoc loco scriptura
testatur. Sed quia tanti numinis gratiam con
tempnentes. super dictis populis ac sacerdotes
sacrificia vitio decerpata ipsis cri
minibus atque impietatibus maculata deo
offerre ceperunt: ideo per malachiam prophetam

dos populum israel increpans ait. Dilexi vos dicit dominus. Et dixistis. In quo dilexisti nos. Nonne frater erat esau iacob dicit dominus. et dilexi iacob. esau autem odio habui. Esau autem fratrem iacob non nunquam aut spontanea voluntate odio habitum deo. ut sit nisi gratia iacob dilectum manifestum est cum secundum prescientiam sua esau quidem effusione sanguinis fratris concupiscere iacob autem ob sui cognitionem observandam legem desiderio cognoscere. Cuius rei gratia supradicto usus exemplo est dicens. Dilexi iacob. esau autem odio habui. Nimius ex operibus memoratorum quorum liber geneseos meminit. in quo magis quam scriptorum fuitur erat proposito manifeste ostenditur supra scriptum est. Creverunt pueri et erat esau homo agrestis sciens venari. Iacob autem homo simplex manens in tabernaculo. Nam reliqua que lectione comprehensa sunt. prevaricationem populi israel in observandis sacrificiis dei. increpationem que inde merent quod deos alienos coluerint significant. Incipit Malachias propheta.

Onus verbi domini ad israel in manu malachie. Dilexi vos dicit dominus. Et dixistis. In quo dilexisti nos. Nonne frater erat esau iacob dicit dominus. et dilexi iacob. esau autem odio habui. Et posui montes eius in solitudinem. et hereditatem eius in dracones deserti. Quod si dixerit ydumea destructi sumus. et revertentes edificabimus que destructa sunt. hec dicit dominus exercituum. Isti edificabunt et ego destruam. et vocabuntur termini impietatis. et populus cui iratus est dominus usque in eternum. Et oculi vestri videbunt. et vos vos videns dicetis. Magnificetur dominus super terminum israel. Filius honorat patrem. et servus dominum suum. Si ergo pater ego sum ubi est honor meus. et si dominus ego sum ubi est timor meus dicit dominus exercituum. Ad vos o sacerdotes qui despicitis nomen meum. Et dixistis. In quo despeximus nomen tuum. Offertis super altare meum panem pollutum. et dicitis. In quo polluimus te. In eo quod dicitis. Mensa domini despecta est. Si offeratis cecum ad imolandum. nonne malum est. Et si offeratis claudum et languidum nonne malum est. Offer illud duci tuo si placuerit ei. aut si susceperit faciem tuam. dicit dominus exercituum. Et nunc deprecamini vultum dei ut misereatur vestri. de manu enim vestra factum est hoc. si quomodo suscipiat facies vestras. dicit dominus exercituum. Quis est in vobis qui claudat ostia. et incendat altare meum gratuito. Non est mihi voluntas in vobis dicit dominus exercituum. et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum. magnum est nomen meum in gentibus. et in omni loco sacrificatur. et offertur nomini meo oblatio munda. quia magnum est nomen meum in gentibus dicit dominus exercituum. Et vos polluistis illud. in eo quod dicitis. Mensa domini contaminata est. et quod superponitur contemptibile est cum igne qui illud devorat. Et dixistis. Ecce de labore. Et exsufflastis illud. dicit dominus exercituum. Et intulistis de rapinis claudum et languidum. et intulistis munus. Numquid suscipiam illud